



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Nostra sententia proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

nonimiam est, quemadmodum si definiatur ens per gladium, aut e conuerso ut notatum est in prima propositionis definitione initio capitis præcedentis posita: æquid enim est propositionem, iudiciumve de re aliqua ferre, quam aliquid de ea enunciare, aut quid habet nouæ claritatis hic conceptus præ illo? Quod, si enunciatio paulo strictius sumatur, ut perinde sit, atque affirmatio, iam definitio hæc nullo, aut certe paruo momento differt ab ea, quæ tertio loco relata est, atque reiecta.

Septimò non pauci Thomistæ cum Ferrariensi 1. cont. gent. c. 59. docent eo tenus propositionem considerare à simplici apprehensione, quod sit actus reflexus conceptionem simplicem, ac directam rei conceptæ comparans, eamque tali rei conformem, aut difformem esse iudicans. Sed in primis malè propositio per iudicium definitur: ut cap. superiori visum. Deinde multi, qui non reflectunt suprà suos actus simplices, eosque pro simplicitate, ac rusticitate sua ignorant, iudicant tamen, & propositiones conficiunt. Tertio, sicut intellectus comparat actum simplicem directum cum suo obiecto, cur vnum obiectum cum alio comparare, eaque immediatè, & sine vlla reflexione componere, aut diuidere, seu affirmare, & negare nequeat, sicut ad propositionem oportet? Quarto denique, quemadmodum intellectus per apprehensionem præuiam, & directam concipit, Petrum v. g. tanquam hominem, quin hoc per eam diiudicet, cur etiam intellectus non possit apprehendere reflexe talem apprehensionem directam, & præuiam, velut conformem, aut difformem obiecto suo, quin de ea confirmate, aut difformitate, aut vtriusvis termino iudicium ferat, aut quidpiam affirmet, negetve? comparatio ergo reflexa actus cum obiecto, aut, quod iuxta est, reflexio comparatiua qualiscunque, haud est iudicium, seu propositio, ac proinde hæc per illam non est definienda. Quamuis autem eam Ferraræ, aliorumque quorundam sententiam videatur tradere B. Thomas 1. parte q. 16. art. 2. at eum ibi optime explicat Caietanus, non quasi velit iudicium, seu propositionem suapte natura comparare conceptionem simplicem præuiam cum suo obiecto, & vtriusque conformitatem, aut difformitatem enunciare in actu signato, sed tantum in actu exercito: hæc enim propositio, *Petrus est homo* v. g. cum nihil aliud signate, & formaliter compararet, nisi Petrum cum homine, ut constat ex ipsa vocum significatione, & vñ, atque experientia manifesta (præter quod argumentum non erat opus aliud aduersus Ferraram, & sequaces) eo ipso comparat exercitè, & virtualiter conceptionem præuiam, & simplicem Petri hominis, seu velut hominis, cum hoc obiecto suo, & vtriusque conformitatem, videlicet Petrum esse hominem, sicut apprehenditur, & eius apprehensionem illum representare, sicuti est in se, quodammodo diiudicat.

Octauò alij propositionem definiunt, eam, quæ extrema apprehensa, per verbum, *est*, aut *non est*, immediatè comparat: in qua definitione, cautè quidem additur vocula, *immediatè*, cum hi actus Petrus est doctus, Paulus est indoctus, Petrum cum Paulo comparent; quia tamen non per verbum, *est*, quod vtrumque immediatè inter iaceat, idcirco tales actus propositio non sunt, sed potius propositiones. Mala etiam definitio: quippe, quæ propositioni internæ non conuenit: ea enim verbo substantiuo *est*, ac *non est*, omnique alio caret. Quod à nomine verbi conceptum huic voci *est*, aut *non*

est respondentem aduersarij subaudiunt, adhuc non placent, quia definiunt propositionem internam in ordine ad externam, & eius partes, cum potius propositio externa definiri debeat per respectum ad internam, quæ sola propriè, aut certè magis propriè est propositio; ad modum, quo homo pictus in ordine ad verum, non è conuerso, definitur. Confirmatur, definitio tradita per proprietates definitio non est, sed descriptio; idem ergo de definitione tradita per signum, cuiusmodi est verbum *est*, aut respectu illius, censendum. Nonò alij docent, propositionem suapte natura esse eam, quæ efficax odium aut amorem obiecti potest excitare. Verum immeritò: tum, quia, si daretur in rebus creatura cognoscitiua non volitiua, pro eo, ac aliqui putant esse possibile ea iudicaret, ac propositiones formaret: at eius cognitio nullius esset amoris, nullius principium odij, ne dum efficax: tum etiam, quia apprehensio simplex, quamuis sit infra perfectionem iudicij, seu propositionis, nihilominus potest affectum efficacem amoris, & odij in nobis accendere, ut P. Vazquez, & alij citandi loco sentiunt; potest, inquam, primò, quia apprehensio belluina actus efficaces causat, ergo à fertiori nostra; secundo, quoniam iudicium, seu propositio volitionem simplicem, & inefficacem infert, facitque, experientia teste, ac doctorum suffragante consensu; quidni ergo è contrario simplex apprehensio volitionem efficacem, atque perfectam? En quatenus propositio in communi haud ita sit definitu facilis?

C A P V T III.

Nostra sententia proponitur.

Propositionem ipse ita definitio: est actus intellectus impossibilitatis in eodem intellectu, seu oppositionis physica cum alio circa idem obiectum ex diuerso tendendi modo capax. Hæc definitio in primis conuenit omni propositioni, cum nulla sit, quæ cum alia opponi circa idem obiectum, & in eodem intellectu impossibilis esse nequeat: nam si dicas, Petrus est homo v. g. fieri non potest, ut simul asseras, Petrus non est homo, aut è conuerso: par autem est ratio quarumvis aliarum propositionum. Rursum ea definitio à diuisione differt, quippe quæ abstrahit ab omni propositionis specie: haud enim in eo, quod aliqua propositio sit impossibilis cum alia, & oppositionis capax, exprimitur, an sit affirmatiua, vel negatiua, vera, vel falsa? Præterea eiusmodi definitio in argumentationem non conuenit, eo, quod collectio actuum non actus sit: nec in apprehensionem simplicem, & minimè iudicatiuam, utpote quæ cum alia apprehensione, aut iudicio in eodem intellectu circa idem obiectum impossibilis non est: optimè namque fieri potest, & solet ex natura rei, ut apprehendas aliquid ita esse, & simul apprehendas, aut etiam iudices, illud non esse, atque, vel diuersis apprehensionibus sollicitis, vel earum cum iudicio quoque luctam patiaris. Declaratur quodam simili; quemadmodum se habet affectus intrinsecè, & ex se efficax respectu inefficacis, & imperfecti, ita iudicium, seu propositio in contemplatione simplicis apprehensionis, & quod est ille in voluntate, hoc est propositio in intellectu: at affectus intrinsecè, & suapte natura efficax à P. Ripalda t. 1. de ente supernat. lib. 1. disp. 14. sect. 3. & aliis communiter definiri solet, qui est impossibilis cum affectu contrario eiusdem obiecti,

eti; pari ergo modo actus intrinsecè, & ex se indicatius, & apprehensione perfectior, definiri poterit ac postulat per impossibilitatem cum alio intellectus actu contrario circa idem obiectum. Declaratur etiam, & confirmatur ulterius; quia hac ratione optime explicari, ac defendi potest in rigorofo, & proprio sensu, quod Aristoteles 1. prior. c. 1. putatur à quibusdam asserere, essentiam propositionis ut sic in eo sitam esse, quod illa sit affirmatio unius de alio: nam hoc vero verius, dummodo sumatur affirmatio, non proptèr condistincta à negatione, sed proptèr est actus, quo quis firmiter adheret obiecto, siue id negando, siue adstruendo, ita, ut non possit simul obiecto contrario assentiri. Sic autem explicatam Aristotelis definitionem quis non videt convenire posse, tum propositioni affirmatiuæ, tum etiam negatiuæ.

Quo clarior, & explicatior sit superior propositionis definitio à nobis tradita, obijciens aduersus eam primo, propositioni externæ non convenire; quippe quæ non est actus intellectus; nequit autem ea definitio non esse mala, quæ non congruit omni definito. Respondeo, propositionem externam fortasse non esse propriæ, & verè propositionem ut lib. 6. constabit; quare non magis debuit ea definitione comprehendi, quam homo pictus definitione veri. Respondeo secundo; propositio externa verè, & propriè propositio si sit, ut loco nuper citato ostendam etiam esse non improbabile, definitionem nostram ei convenire posse, si, ut est in facili, refingatur, & loco eius particule, *actus intellectus*, substituatur oratio, proptèr abstrahit ab interna, & externa, hunc in modum: propositio est oratio impossibilis, siue oppositionis physica cum alio, &c. At enim dices, orationem externam affirmantem, Petrum v. g. currere, neutiquam esse impossibilem cum ea, quæ exterius statuit, Petrum non currere, aliave id genus, quando altera potest scripto, altera simul voce proferri. Sed in promptu est responsio, ambas nimirum materialiter sumptas componi, ac simul esse posse, secus vero formaliter sumptas, & proptèr vere significant, ac respiciunt propositiones internas, & mentales: id enim esset has, etiam si circa opposita obiecta, neutiquam tamen oppositas in eodem intellectu, aut impossibiles esse.

Obijciens secundo, apprehensionem evidentem alicuius rei suapte natura, & representandi modo esse impossibilem cum iudicio rem euidenter propositam negante, eique dissentiente; & tamen ea non est iudicium, seu propositio, qua de loquimur; hæc ergo perperam est à nobis per eiusmodi impossibilitatem definita. Prior antecedentis pars, nam posterior est explorata, suadet: fieri nequit, ut apprehensio rem aliquam euidenter proponens sit necessario coniuncta cum illius assensu, eumque rapiat, & non sit impossibilis cum opposito dissensu: at habet eam necessariam coniunctionem cum assensu, & ad illum præbendum reuera intellectum cogit, ut pulchre docet Cicero lib. 1. academ. quæst. *crenim necesse est, ut lancea in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere: nam quomodo non potest animal vllum non appetere id, quod accommodatum ad naturam appareat, (Græci id *ὀρεῖσθαι* appellant) sic non potest obiectam rem perspicuam non approbare.* Huc etiam faciunt egregia illa sancti Patris nostri Ignatii verba in Epistola de obedientiæ virtute; *quæ vis animi, (nimirum intellectus) tamen non ea, quæ voluntas pollet, libertate prædita est, atque ipsa natura fertur eius assensus in id, quod*

sibi veri speciem præbet, tamen multa in rebus, in quibus videlicet cognita veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam partem inclinari. Respondeo, apprehensionem evidentem rei opponi in eodem intellectu cum eius dissensu, at non immediate, sed mediante assensu, quem infert: nobis autem sermonem esse de oppositione non remota, & impropria, sed immediata, & propria in definitione tradita. Respondeo secundo, apprehensionem evidentem huius principij v. g. quodlibet est, vel non est, etiam si sit impossibilis cum eius dissensu immediate quidem, & seorsim ab assensu illato, eoque, saltim diuinitus, impedito, nihilominus eam non esse impossibilem cum alia apprehensione inevidenti, concipiente, non quodlibet esse, vel non esse, veluti, si quis simul has voces audiat & earum significationem apprehendat: quocirca apprehensio quantumlibet evidens haud est impossibile cum alio actu sui generis, & imperfectæ, ac simplicis representationis; propositio vero cum aliquo alio actu sui generis non cohæret, in eodem intellectu: ita ergo si explicetur oppositio, & impossibilitas, definitio à nobis per eam tradita in apprehensionem evidentem non conveniet.

Obijciens tertio: reuelet Deus Petro, per iudicium aliquod ei inspiratum, & essentialiter verum, nullam ei apprehensionem simplicem inesse: quæ enim in hac reuelatione contradictio? tum si; nulla apprehensio simplex etiam diuinitus componi potest cum hoc iudicio, alias illud falsum redditura, adeoque omnis est cum eo prorsus impossibilis, & tamen nulla est iudicium, seu propositio: huius ergo definitio per impossibilitatem tradita aliis à definito competit, ac proinde est vitiosa. Verum superioris argumenti secunda solutio huc accommodari potest: quamvis enim apprehensio quævis sit impossibilis cum præfato iudicio, non tamen cum alio actu simplici, ac sui generis. Deinde si reuelatio illa est qualitas absoluta, & potis esse in alio supposito v. g. Paulo, sane in eo posita, eique de eodem obiecto facta, componi posset cum quacunque apprehensione simplici, abique vlllo veritatis suæ dispendio, aut etiam periculo, ut intuenti constabit. Tertio, impossibilitas illa cuiusvis apprehensionis cum prædicto iudicio, non tam ex modo tendendi illius, quam ex huius speciali natura, & essentiali veritate nascitur; aliqui profectò quævis apprehensio non cum eo iudicio tantum, sed cum omni impossibilis esset, quo nihil falsius: Atque hoc satis, superque est, ne conveniat in simplicem apprehensionem nostra propositionis definitio, ut illam eius particulam penultimam, *ex diverso modo tendendi*, paulo attentius expendens comperies.

Obijciens quartò, actum alium, cum quo opponitur in eodem intellectu propositio, haud esse posse, nisi propositionem aliam, haud apprehensionem simplicem, & meram: ubi ergo definitur propositio per eiusmodi oppositionem, nulla sit eius ab inferiorum multiplicitate abstractio, sed potius velut multiplex, & alia, atque alia exprimitur: hoc autem non videtur admodum verisimile, sicut enim definitur ratio communis hominis, v. g. & alia quævis proptèr vna, & ab inferioribus suis abstracta, quidni etiam ratio communis propositionis? Respondeo, imprimis, licet oppositio per quam est definita propositio, non sit, nisi eius cum alia propositione: at hoc in illius definitione à nobis tradita non exprimi adeoque, nec multiplicitatem inferiorum cum abstractione, & unitate propositionis in commune repugnantem.

pugnantem. Sic definita causa hunc in moeum, est principium per se influens esse in aliud, nulla eo ipso causarum multiplicitas distinguitur, quia tametsi aliud, respectu cuius causa definitur, eiusque correlatiuum reuera sit etiam ulterius causa alicuius alterius (est enim necessario ens, quod autem ens, ad necessario causatiuum alicuius, si non efficienter, at certe finaliter, formaliter, aut materialiter) ceterum hoc non exprimitur in definitione causae, sed tantum, quod eiusmodi aliud sit effectus, & causa terminus: quanquam ergo actus alius, cum quo definitur, impossibilis propositio in communi debeat reuera esse etiam propositio, hoc tamen in ea definitione exprimi non est necesse: non expressum autem vnitati, & abstractioni rationis definita nullum praedictum importabit. Respondeo secundo, actum alium, cum quo definitur impossibilis propositio, non tantum esse reipsa, & ante opus intellectus propositionem aliam, verumetiam apprehensionem simplicem interdum: quid enim verat, iudicium aliquod eius esse perfectionis, ut non dissensum modo, sed quamuis etiam apprehensionem contrariam fuget, & expellat? licet & diuerso quolibet apprehensio, vel quoad eius est cum illomet iudicio vel absolute cum alio non tanta perfectione praedito componi queat. Ex hoc ergo titulo, ut omittam alios, neququam exprimitur in definitione causae, causarum multiplicitas, & distinctio: quo pacto quia filius, etsi ut plurimum pater alterius esse possit, non tamen semper, ut cernere datur in secunda triados persona, quae filius est non tamen pater, ideo pater in communi respiciens filium velut à se distinctum, & relationis suae terminum, nihilominus ab omni patrum multiplicitate abstrahit, estque ratio prorsus vna, haud secus, atque homo, & quauis alia.

Denique obieci, in Deo esse propositiones, & iudicia, & tamen in eo nullā esse oppositionē vnus actus cū alio, haud enim alio, atq; alio actu, sed vnicō, & indiuisibili cuncta intelligit: perperā ergo per talem oppositionem definita est à nobis propositio in communi. Respondeo, oppositionem, per quam est à nobis explicata propositionis natura, esse illius cum alio actu re, aut ratione distincto; pluralitatem autem actuum ratione distinctorum in Deo etiam locum habere: Deinde secundo; transeat, oppositionem, de qua loquimur, ita intelligendam esse, ut sit vnus actus cum alio realiter distincto; quid inde non ex eo profecto in propositionem diuinā mentis conuenire nequit: nam, si in illa non est alius, aliusque actus realiter loquendo, quauis ergo illius propositio est impossibilis cum actu quocunque realiter distincto, ne videlicet ea pluralitas realis actuum, Deo compositionem, & imperfectionem affingat.



TRACTATUS II.

De variis speciebus veritatis compositae, siue propositionis.

CAPVT I.

Propositio multifariam diuiditur.

Rimò in eam, quae est differendi, siue dialecticam; atque in demonstratiuam. Propositio
P. Lyncei Philosophiae Tom. I.

dialectica in quærente est mera interrogatio contradictionis; ac proinde omnis veritatis, & falsitatis expers: at in ratiocinante est sumptio eius partis, quæ apparet verisimilis, ac probabilis; & velut talis est concessa ab eo, cum quo instituitur disputatio demonstratiua est acceptio alterius partis contradictionis in materia necessaria ac per se nota: de quibus vide Aristotelem lib. 1. prior. cap. 1. Rursus propositio, alia est strictissima, videlicet sola maior syllogismi: alia stricta quidem, & propria; sed non tantumdem, scilicet quauis alia, siue sit minor syllogistica, siue conclusio, siue sit prorsus extra syllogismum omnem: utroque enim modo sumi propositionem testes sunt ut alios omittam, nostri Conimbricenses super textum eius libri primi, capitique primi priorum.

Uterius propositio dissecari consuevit in affirmatiuam, & negatiuam, quæ à Cassiodoro in dialectica, & Isidoro lib. 2. orig. cap. 26. & aliis dissident dedicatiua, & abdicatiua. Hanc autem diuisionem esse non vniuocam, sed analogam docent Alexander Aphrodis. Burana lib. 1. prior. cap. 1. quoniam, inquit, affirmatio, est prior negatione: ubi autem reperitur prius, & posterius, ibi visitur analogia; ut patet in substantia, & accidenti, Deo, & creaturis, contemplatione entis: ergo, &c. Minorem supponunt adducto exemplo probatam. Maiorem probant hunc in modum: obiectum affirmationis, videlicet rem esse obiectumque negationis; scilicet rem non esse, ita instituta sunt, ut illud genere suo sit prius, quam hoc: quanquam enim in rebus creatis prius sit eas non esse, quam esse; at esse latissime fufum, & prout se extendit ad creatorem, eumque comprehendit, prius est, quam non esse; nam quidquid non est in rerum natura, caret existentia, censeturque non esse, dependenter utique à Deo nolente, illud ex nihilo, seu non esse ad esse transferri. Ceterum verius est, prædictam diuisionem esse vniuocam. Ita B. Thomas opusc. de enunciat. cap. 6. Ammonius 1. de interpret. c. 4. Porphy. & Philopon. lib. 1. prior. c. 1. & Simplicius atque Recēiores communiter. Probatur autem primo, quia affirmatio est verè, & propriè propositio, necnon etiam negatio: conueniunt ergo vniuocè in ratione propositionis: haud secus ac Petrus v. g. & Paulus in ratione hominis, propter id quod vterque est verè, & propriè homo. Secundo: eadem propositio potest esse affirmatiua, & negatiua respectu diuersorum, veluti hæc: Petrus currit, & Paulus currit: sicut ergo affirmatio, & negatio conueniunt per identitatem, & indistinctionem realem, ita etiā per similitudinem, & vniuocationem, si cuius vspiam est momenti argumentatio à maiori ad minus. Tertio & obiter fit satis argumento contrario: tametsi affirmatio sit prior negatione, & hæc illa posterior: atq; hoc diuersæ opinionis auctoribus concedatur ex abundanti, inde tamen nihil concludi potest aduersus vtriusque vniuocationem; cum probabilius sit, substantiam & accidens, creatorem, & creaturas vniuocè conuenire in ratione entis, quam tamen nisi prius, & posterius, & cum inæqualitate quadam non participant: de quo in metaphysica. Tandem: licet esse sit prius, quam non esse, & hoc posterius illo, hinc neququam sit, eandem prioritatem, & posterioritatem admittendam esse inter affirmationem, & negationem: tum quia non sunt harum obiecta, videlicet singula singularum, ut in prioris sententiæ fundamento assumitur satis ex vano: nam affirmatio multoties respicit non esse, siue carentiam: ut si dicas, nunc datur carentia Antichristi: & negatio etiam multoties esse rei, siue eius existentiam: veluti